

re attingunt: imprimis ad terminos Moncemugi, regis potentissimi. Hujus potentia extenditur ultra regna Mombassa & Quialo ad occasum, tangitque Mozambique Coano fluvium. Versus occasum habet Nilum; ad meridiem Prete Johannem. Habet etiam sub se Giaquinos seu Agabos gentem ferocissimam, qui vivunt ad sinistram Nili, & vescuntur humanis carnibus.

Tranantibus Nilum, occurrit regnum Gojame, quod finitimos habet Pangalungos & regnum Congo. Porro tendentibus ultra fluvium Haire, se exhibet regnum Vangue, & ulterius ad Septentrionem Damut, quæ duo regna conterminos Antzichinos habent.

De regnis inter Moncemugum & Abissinorum regem hæc fere nobis innotuere nomina: Garona Cotla, Anzuga, Mananto, Baduis. Inter hæc duo posteriora se erigunt montes Amani ad nubes usque.

## QUILOA, MOZAMBIQUE.

**E**untibus verò rursus ad mare ad effluxum Coani fluvii, reperitur Qui-